

novem pullos, tres mandulas ovorum cum aliquibus attinentiis aliis, videlicet lino, humulo et avena annui census, seu aliis utilitatibus quibuscunque in villa apud sanctum Gothardum^{a)} consistentibus, in bonis ibidem, quae Martinus rusticus a nobis et ecclesia nostra praedicta tenet ac possidet pacifice et quiete, iusto emptionis titulo vendidimus pro viginti sexagenis grossorum, pecuniae eiusdem summam non in privatum nostrum commodum sive usum, sed in utilitatem evidentem fabricae dictae nostrae ecclesiae convertendo. Quem quidem censum annum praenarratum cum utilitate, iure et fructu, ut praemisimus, in praedicta villa in bonis praefati Martini consistentem incorporavimus, appropriavimus et in proprium dedimus ac harum serie litterarum appropriamus, incorporamus et in proprium damus ecclesiae nostrae praedictae pro anniversario memorati quondam domini Thimonis perpetuis temporibus in iam dicta ecclesia nostra annis singulis peragendo, renunciantes omni iuri nobis in praedictis bonis quomodolibet competenti. In cuius rei testimonium et robor in perpetuum duraturum, praesentes nostri sigilli munimine iussimus communiri.

Et nos Albertus dei gratia praepositus totumque capitulum ecclesiae Misnensis supra-scriptae, signum nostri consensus in praemissis adhibiti, sigillum nostri capituli praesentibus duximus apponendum. Datum et actum Misnae anno domini M^o.CCC^o.XXXVIII^o. feria sexta ante dominicam Reminiscere proxima praesentibus honorabilibus viris dominis nostris Alberto praeposito, Conrado de Strele, Henrico de Gubin, Johanne de Strele, Hermanno de Wolfnitz, Alberto de Gubin, magistro Hermanno praeposito Budisinensi, Nicolao de Gana, Pachuszone et Thamnone de Luppe, magistro Michaelae de Sumiruelt aliisque pluribus fide dignis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

a) J a h n a, Eph. Oschatz.

No. 427. 1338. 1. Mai.

B. Withego II. beurkundet, dass Hermann von Cottowe das Allod in Cottowe mit der Mühle und sonstigem Zubehör aufgelassen habe und auf dessen Bitte Johann gen. Bobyrscher mit diesen Gütern belehnt worden sei. Vgl. No. 394.

In nomine domini amen. Cunctorum perit memoria factorum, si non scripturarum ac hominum testimonio fuerint commendata. Hinc est, quod nos Withego dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis ad universorum tam praesentium quam futurorum quorum interest seu interesse poterit notitiam cupimus pervenire, quod constitutus in nostra praesentia fidelis noster Hermannus senior de Cottowe una cum uxore ac heredibus suis allodium suum ibidem in Cottowe cum molendino ac cum omnibus suis pertinentiis quocumque nomine censeantur, quod a nobis et nostra ecclesia in feudum possedit, ad manus nostras libere resignavit petens, ut dictum allodium cum omnibus suis pertinentiis ac molendino fideli nostro Johanni dicto Bobyrscher ac suis heredibus conferre dignemur. Nos vero considerantes fidelia servitia nobis per eundem Johannem exhibita et in posterum ecclesiae nostrae exhibenda, praedictum allodium eidem Johanni et suis heredibus praesentibus conferimus a nobis et nostra ecclesia perpetuis

a) Cotta, Par. Briessnitz.